

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae Religionis Capitibus Disputationes XV.**

**Calixt, Georg**

**Helmeftadii, 1658**

**VD17 VD17 3:303575N**

Disputatio X. De baptismo

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128662)

## DISPUTATIO X.

## DE BAPTISMO.

## T H E S I S I.

**B**aptismus ἀπὸ τοῦ βάπτω aut βαπτίζω intinctionem propriè sonat, & quidem ut hodiè Ecclesia loquitur, illam sacramentalem, per quam primum cum Deo pactum inimus. Aliàs generatim quamlibet ablutionem significat. Atque inde Marcus VII, 4, βαπτισμὸς ποτηρίων καὶ ξιφῶν καὶ χαλκίων καὶ κλιῶν dicit.

VOCABU-  
LUM BAP-  
TISMI.

II. Specialis magè & scripturæ propria prior est. Sed nec illa tantùm. Nam sumitur Baptismus quoque pro doctrinâ & institutione. Ita Matth. XXI, 24; Luc. XX, 4. *Baptismus Joannis eratne ex caelo, aut non?* Act. XIIX, 13; XIX, 25. *Apollo tantùm baptisma Joannis sciebat.*

III. Et pro effusione sensibilibum donorum Spiritus sancti. Sic Ioannes ait Matth. III, 11; & Luc. III, 16. *Qui post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Repetit Servator, & idem promittit Act. I, 6. *Ioannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Vide quoque Act. XI, 16. Priore Cor. X, v. 2, accipitur pro miraculoso transitu per mare rubrum. *Omnes eis τὸν μαῶν, hoc est, ductu Moysis baptizati sunt in nube & in mari.*

IV. Et pro cruce, quæ & ipsa immersio quædam in calamitates. Matth. X, 38. *Potesisne baptizari baptisate, quo ego baptizor?* Luc. XII, 50. *Baptismo oportet me baptizari, & quomodo coardior, usque dum perficiatur.*

V. Baptismum alij triplicem faciunt, Fluminis, Fluminis,

Flaminis,

Flaminis & Sanguinis, quo scilicet tempore persecutionum catechumeni ante susceptum baptismum de sua fide testimonium perhibebant. Veram omnibus hisce significationibus translatis agendum nobis est de Baptismo accepto proprie & pro sacramento Novi Testamenti.

BAPTIS-  
MUS JO-  
ANNIS.

VI. Talis Baptismus primum cepit ministerio Ioannis præcursoris Messia, priusquam ipse Messias suum inchoaret ministerium. Non autem ab homine erat, sed à Deo. Matth. XXI, 25. Luc. XX, 4. Ioan. I, 33.

VII. Baptizavit verò aquâ. Verba quæ adhibuerit, & an eadem quæ à Christo postillâ adhiberi iussa sunt, incertum est. Baptizavit nihilominus in pœnitentiam, Matth. III, II. prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Luc. III, 3. Marc. I, 4. Et baptizabantur ab illo confitentes peccata sua, v. 5. Atque ille concionabatur: *Pœnitentiam agite*, Matth. III, 2. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, Luc. III, 8. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Ioan. II, 29.

BAPTIS-  
MUS CHRIS-  
TI.

VIII. Christus simul ac semel sese manifestare, ac opus redemptionis nostræ inchoare cepit, cepit quoque baptizare. Quanquam non baptizabat ipse sed discipuli ejus. Ioan. IV, 2.

IX. Postquam officium suum implevisset jam unde venerat adscensus expressum mandatum promulgavit. *Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*. Matth. XXIX, 19. Hæc verba tanquam formâ sunt baptismi, quæ cum aquâ, utpote materiâ, ipsam ejus essentiam constituunt. Adnectitur quoque promissio: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Marc. XVI, 16.

X. Hinc

X. Hinc manifestum est, quomodo convenient Baptismus Joannis & Christi. Uterque non ab homine est, sed à Deo. In utroque est aqua. Verba quoque si non eadem, attamen æquipollentia. Neque enim in suo nomine baptizavit Joannes, verum vel expressè in nomine Trinitatis; vel implicite in nomine Dei, qui trinus in personis, unus est in essentia. Utròbique quoque effectus est idem, nempe remissio peccatorum. Conveniunt igitur in substantialibus.

XI. Differunt in hoc, quòd prior fuerit baptis-  
mus in Messiam jam jam exhibendum, posterior verò in  
exhibitum.

XII. Omisso autem Baptismo Joannis, de quo spinosas quæstiones movere & discutere difficilius quam  
utilius; Baptismum quo nunc utitur Ecclesia, dicimus esse Sacramentum novi fœderis, ab ipso Christo institu-  
tum hoc ritu, ut in nomine P. F. & S. S. aquâ tingantur homines, quibus ex adnexâ promissione divinâ obtin-  
git regeneratio, adoptio & applicatio totius meritù Christi.

XIII. De causâ efficiente principe dicimus quòd ea sit Christus. Atque ab hujus institutione & promissio-  
ne dependet tota baptismi vis & efficacia.

XIV. Ea est *ἡσθησια* & quæcunque eò spectant: statuimus enim quoscunque baptizatos à Deo in fœdus recipi, regenerari, renovari, peccatorum remissionem impetrare, omnium Christi meritorum participes fieri, per baptismum quidem tamquam instrumentum offerens & applicans; per fidem verò tamquam adprehendens.

XV. Atque hæc omnia baptizatis per illum ipsum  
baptis-

Gg

baptis-

SACRAMENTUM  
BAPTISMI QUID?CAUSSA  
EFFICIENS  
BAPTISMI.

ADOPTIO

baptismum non tantum conferuntur, verum etiam ob-  
 Rom. 4, 11. signantur. Inde enim Paulus circumcisionem, cuius lo-  
 cum baptismus occupavit, *σφραγίδα* adpellat *τῆς δικαιοσύνης*  
 1 Ep. 3, 21. *τῆς πίστεως*. Petrus ipsum baptismum *συνοδόν* *ἀγαθῆς*  
*ἐπερώτημα* eis *ἑδόν*.

XVI. Quod autem revera adplicentur, testantur  
 hæc dicta: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis*,  
 Gal. III, 27. Item: *Baptismus est lavacrum regenerationis*  
*& renovationis in Spiritu sancto*, Tit. III, 5. *Mundans*  
*Ecclesiam lavacro aquæ in verbo*, Eph. V, 26. Petrus 1 Ep.  
 III, 21. *Salvos nos facit baptismus*.

CALVINI-  
 ANORUM  
 ERROR.

XVII. Hoc tenendum est adversus Calvinianos,  
 qui negant regenerari, ut in Colloquio Mompelgartensi  
 Beza professus est, licet millies baptizentur, quotquot  
 fingunt electos non esse & ad vitam prædestinatos abso-  
 luto illo decreto, contra quod alio loco disputavimus.  
 Atque ideo ista baptismum non dicunt conferri, sed tantum  
 significari. Quid verò significabitur, ubi nihil tum confer-  
 tur, neque verò unquam conferetur? Quod ad magnam itaque  
 partem baptizatorum baptismus nec erit lavacrum regene-  
 rationis, nec signum ejus, his scilicet, qui finguntur abso-  
 lutè reprobis. Quid igitur nisi ludibrium Dei & hominum?

XIIX. Sed & alterum istud tenendum est, fidem  
 adprehendentem requiri. Hanc Spiritus sanctus in in-  
 fantibus per ipsum baptismum, quoniam locum ibi aliud  
 medium non habet, operatur, ut postea ostendemus.  
 Adultis autem patet auditus verbi, quo neglecto fides  
 non donatur. Adultis itaque, quia verbum negligere,  
 simulare & hypocritas agere possunt, & in peccatis con-  
 tra conscientiam perseverare, qui eorum tales sunt, ijs  
 negamus quicquam in baptismum conferri, non quod Deus  
 nolit,

nolit, sed quod ipsi, adeoque obicem ponant & Spiritui S. contumaciter resistent. Fœdus itaque, adoptio & regeneratio hujusmodi quidem hominibus, quantum ex parte Dei & ministerij offertur; non autem, quoniam ipsi eam repudiant, confertur.

XIX. Cæteros bona in baptismo promissa adipisci dicimus ex vi institutionis & promissionis. Beda dicit *Christum contactu suæ mundissimæ carnis contulisse vim regenerativam aquis. Verum rectissimè Gabriel IV, d. III, quæst. un. dub. ult. Vis illa, inquit, non fuit aliqua realis entitas aquæ inherens, sed fuit ordinatio aquæ, ut esset materia baptismatis.*

XX. A divinâ itaque institutione & promissione quia efficaciam suam trahit baptismus, nihil moramur dignitatem ministri, sive credat ipse, sive non; sive intendat facere & conferre quod Ecclesia, sive non, modò tamen ipsum baptizandi actum intendat.

XXI. Quare baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi, ut docuerunt & fecerunt Donatistæ. Originem duxerunt circa A. C. ut notat Hieronymus in Chronico cccxxxi, à Donato quodam Numidâ, qui à Cæciliano episcopo Carthaginis contra ipsius voluntatem electo se disjunct, & Majorinum suæ functionis episcopum constituit. Majorino successit alius Donatus, priore doctior & eloquentior; & huic Parmenianus, cujus epistolam tribus libris refutat Augustinus; Perilianum itidem, Cresconium & Gaudentium singulos totidem: qui cum reliquis compluribus contra Donatistas scriptis exstant tomo septimo operum Augustini. Contra eosdem Optatus quoque Milevitanus sex libros ad Valentinianum & Valentem Imperatores scripsit. Plura

DONATISTARUM ERROR.

236. DE BAPT. IN CASU NECESSIT.  
inde petantur, & è catalogis Philastrij & Augustini hæ-  
LXIX, & lib. IV hæret. fabularum Theodoret. Miror  
autem cum maturè adeò ceperint, ab Eusebio, Socrate,  
Sozomeno nullam eorum fieri mentionem.

XXII. Præcipuus error fuit, quòd baptismum ab  
infideli collatum inutilem adfirmarent, adeoque itera-  
rent. Nos autem ostendimus efficaciam sacramentorum  
ab instituyente & institutione pendere. Porro circumci-  
debant in V. T. increduli sacerdotes; baptizabat in No-  
vo apostata & proditor Judas: neque propter hunc aut  
illos vel circumcisio vel baptismus erat irritus.

BAPTIS-  
MUS IN  
CASU NE-  
CESSITA-  
TIS.

XXIII. In casu quoque necessitatis (aliàs omnia  
ordine & decenter fieri debent, I Cor. XIV, v. ult.) fæ-  
minis permitti potest, ut baptizent. Nam & illæ mem-  
bra sunt Ecclesiæ, & cohæredes gratiæ vitæ, I Petr. III, 7.  
Et per illas circumcisionem efficaciter administratam  
fuisse legimus Ex. IV. Nam *in Christo Jesu nec mas est  
nec femina*, Gal. III, 28. Deinde quales & quantæ &  
quibus Spiritus donis dotatae fuerunt Debora Iud. IV  
& V, Hulda II Reg. XXII, Anna Luc. II, Priscilla erudijt  
Apollon Act. X, Eunice mater & Lois avia Timotheum  
II Tim. I. Quòd si igitur fæminæ verbum, quod idem  
instrumentum divinum est, utiliter tractare possunt;  
quòd si inquam necessitate ita urgente munus docendi  
& consolandi rectè & efficaciter cooperante Sp. sancto  
sibi sumerent, quæ causa, quò minus, si opus fuerit,  
baptismum administrent potius quàm omittatur, & infan-  
tis salus manifesto periculo exponatur?

XXIV. Repudiamus itaque sententiam Calvi-  
nianorum, quæ ut intelligatur, eam totam adscribemus  
verbis Magistrorum ipsorum, ex Epist. CCCXXVI. earum, quas  
edidit.

edidit Beza. *De questione, inquit, propositâ sic sentimus. Quia nemo privatus legitimus est baptismi minister, huic malo severe occurrendum esse; quia est manifesta baptismi profanatio. Et quoniam hic mos perversus ex superstitione traxit originem, dum salutis necessitas signo adfixa fuit, eò minus fovendum est duplex malum.* Dubitanter hac de re loquitur Augustinus: *Si quispiam privatus baptizet ubi cogit necessitas, aut nullum est aut veniale delictum. Atqui nobis longè pluris esse debet inviolabile Christi mandatum. Ite, docete, baptizate. Hic nexus absque sacrilegio solvi non potest. Accedit Apostoli sententia. Nemo usurpat sibi honorem, sed qui vocatus est. Heb. v. 4. Adulterinum ergo baptismum censemus, qui administratus est à privato homine, ubi de vero Baptismi usu admonita fuerit Ecclesia, quod pugnaret cum Christi instituto pro nihilo duendum esset, ac de integro baptizandus, qui pollutus fuerit profanâ adpersione. De mulierum baptismo aliud est nostrum iudicium. Nam quia prodigiosa fuit audacia, ut se præter nature legem mulieres ad hoc munus ingererent, minimè dubitamus quin securè tale flagitium repudiandum sit.*

XXV. Hactenus de efficientibus principe, & ministrantibus; & de effectis. Nunc etiam consideremus Materiam. De formâ res plana est.

XXVI. Materia ex quâ pura est & naturalis aqua. Ita enim baptizavit Joannes in Jordane. Apostoli in fluminibus passim obvijs, ut ex Actis patet. Consecrationes igitur Pontificiorum cum sale, salivâ, cereo, exsufflationibus, signationibus & unctionibus suis, mandata sunt hominum, de quibus dicitur aliquando: *Quis requirit hæc de manibus vestris?* Ceremonias autem pontificias circa baptismum vide apud Gabrielem IV, dist. VI, in

MATERIA  
BAPTISME.

fine, ex Hugonis l. II de sacr. p. VI, cap. X & XI; & ipsum Bellarminum de Bapt. c. XXIV, XXV, XXVI, XXVII.

XXVII. Materia circa quam sunt homines, & quidem omnes. Non autem promiscuè omnes, ne margaritæ porcis objiciantur: sed qui postulant vel per se vel per alios. Baptismus enim Sacramentum est Ecclesiæ & obsecratio doctrinæ Evangelij. Quare extra Ecclesiam ubi Evangelium non docetur, nec fantibus nec infantibus impertiri debet.

XXVIII. In Ecclesiâ vero quibuscunque petentibus. Non autem pluries, quoniam non exstant mandatum aut exemplum iterationis. Rectissimè itaque Gabriel: *Initerabilitatis sacramentorum principalis ratio non est characteris impressio: sed sola divina institutio. Nec est alia causa cur sic vel sic instituerit, nisi quia sic voluit, & divinæ voluntatis causa prior quærenda non est.*

INFAN-  
TUM BA-  
PTISMUS.

XXIX. Infantibus impertiendum docemus, contra Anabaptistas, qui id rabiosè negant, quemadmodum Servetus quoque & Servetiani Antitrinitarij Transylvani. Fundamenta nostra hæc sunt. Primò expressum mandatum Matth. XXIIX, 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* II. Circumcisio typus erat Baptismi succedentis in ejus locum, adeo ut Paulus Baptismum dicat circumcisionem Christi. Infantes igitur quia circumcidebantur, non minus quoque baptizabantur. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Hæc verba Christi sunt. Sed & hæc Christi sunt: *Sinite tæ spèçn ad me venire, talium enim est regnum Dei.* Matth. XIX, 14. Marc. X, 14. Luc. XIX, 16. Et: *Non est voluntas Patris vestri qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Matth. XXIIX, 14. Tæ spèçn igitur renasci

Colof. 2, 11.

Joh. 3, 5.

nasci debent ex aquâ & spiritu. IV. Exemplum Apostolorum, qui baptizarunt integras familias Lydiæ purpurariæ, & custodis carceris, Act. xvi. Paulus domum Stephanæ 1 Cor. i. Ubi credibile est non defuisse infantes. Neque non ab isto tempore usque ad hæc tempora continuâ serie deducta consuetudo, de quâ vaticinatur Jesaias: *Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo vexillum meum, & adferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.*

XXX. Ex dicto autem Christi apud Ioannem supra citato colligimus adversus Calvinum, Baptismum ad salutem necessarium esse, & infantes ex necessitate baptizari. Neque enim sancti nascuntur, ut de filijs fidelium idem docet, sed ex posteris Adæ, contaminati peccato originis, quod suo loco pluribus demonstravimus. *Constitue quemlibet parvulum, ait Augustinus, si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem, quod habet veritas, ideo baptizatur ut sit cum Christo, profecto non baptizatus non est cum Christo. Et quia non est cum Christo, adversus Christum est.*

1 de pecc.  
mer. & rem.  
c. 28.

XXXI. Non tamen ex illo dicto apud Ioannem (ut nimis rigidè Augustinus) omnem spem salutis præcisam volumus vel in utero materno, vel subito & inopinatò ante susceptum baptismum defunctis. Illis enim, quia nati nondum sunt, haut opus est ut renascantur: de illis verò dicimus, Deum qui ordinariè salvat per media, nihilominus salvare posse sine medijs. Velle etiam; modo ne ea impiè contemnantur, aut otiosè negligantur; nam sic & latro sine baptismo servatus est, quia, ut ait Augustinus, *non ejus accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ necessitas adsuit. Voluntas enim Patris non est, ut percat*

INFANTES  
NON BAPTIZATI.  
de fide ad  
Petrum  
c. 27.

4 de bapt.  
c. 23.

240 DE INFANT. NON BAPTIZATIS.

*pereat unus de pusillis istis.* Matth. xliix, 14. Deinde promisit se exauditurum preces parentum, suam sobolem pijs votis in fide offerentium & commendantium. Et Abrahamo, cujus filij per fidem facti sumus, juravit: *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* Item: *Vobis facta est promissio & filiis vestris.* Porro quot infantes ante octavum diem, & susceptam circumcisionem decessisse dicamus; quot item sine eadem cum intermitteretur per XL annos itineris in deserto; quot in Aegypto mox à partu in aquam mandato Parhonis abjectos & suffocatos, quibus vitam & salutem à Deo negatam esse quis adfirmabit? Demum in utero quoque virginis matris hospitium suum habuit servator noster Christus, atque ita hunc etiam suis sanctificavit.

Gen. 17, 7.  
Act. 2, 39.

XXXII. Dico autem Suis, contra Fr. Puccium. Nam quia non privatio sed contemptus damnat, ubi est contemptus Baptismi, ibi presentissimum periculum damnationis. Deus enim media sua non vult contemni. Et qui non habet in terris ecclesiam matrem, neque haec in caelis Deum patrem. Porro Iudæorum, Turcarum & similibus infantes hoc privilegio frui non possunt, quum nec ullo suspirio à suis parentibus Christo commendentur, nec parentum animus sit, eos unquam Christo offerre, sed magis infensissimo adversus Christum & veram Ecclesiam odio ab ipsis incunabulis innutrire & adsuesfacere.

FIDES INFANTUM.

Rom. 10, 17.

XXXIII. Postremum quod hac disputatione tractabimus, erit de fide infantum. Fides ex nobis non est, sed donum Dei, quod Spiritus sanctus operatur. Ordinarie quidem per auditum verbi. Infantes itaque, quum  
verbum

verbum audire & doceri nequeant, ordinariè & per hoc medium in eis fidem Spiritus non operatur.

XXXIV. Quis autem negabit eum sine medio operari posse, modo nobis incognito & ineffabili? *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Luc. 18, 27.  
 Certè Baptista juxta prædictionem Angeli, in utero materno motus sensit Spiritus sancti. *Exultavit enim, ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth.* Luc. 1, 41.  
 David se Domino confisum dicit ab utero à visceribus matris suæ, Psal. LXXI, 6.

XXXV. Atque de infantibus qui baptizantur, quorum est regnum cælorum, non dubitamus quin in eis Spiritus S. fidem operetur. Indubitato enim regenerantur, sanctificantur & adoptantur in filios Dei. At nihil horum fit sine fide. Nam *impossibile est Deo placere sine fide. Quique non crediderit, condemnabitur.* Heb. 11, 6. Marc. 16, 16.

XXXVI. Et manifesta sunt testimonia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* Spiritus igitur in baptizatis operatur, ut possint remissionem peccatorum & regnum Dei accipere. Medium autem quo regnum Dei accipi possit, aliud præter fidem in scripturis non invenimus. Marci x, 15: *Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei sicut parvulus, non intrabit in illud.* Si itaque parvuli non credunt, quisquis crediderit & non receperit regnum Dei sicut incredulus parvulus, non intrabit in illud. Matth. xix, 6: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt.* Rom. iv, 11 dicitur de circumcissione, quod sit signaculum justitiæ fidei. Quod si infantibus circumcisis tribuitur justitia quæ per fidem est, certè ipsa quoque fides sine quâ ista justitia non obtingit, tribuetur.

XXXVII. Non verò diffitemur nos modum, quo fidem vel accipiant vel habeant, nescire. Neque hoc inficiamur de ipsis illis. Nam rationem quoque habent, non tamen sciunt se habere; non effectis, ex quibuseam arguere possis, ostendunt. Laborant quoque vitio originali, nec hoc ipsum sciunt, nec quisquam nisi ex scripturâ constaret, resciceret.

Tantum quoque de priore N. Testamenti sacramento, S. Baptismo.

## DISPUTATIO XI.

## DE COENA DOMINI

## THESIS I.

**A**lterum Novi Testamenti Sacramentum Altaris dicitur, & Sacra Domini Cœna, Communio, Synaxis, atque à fine Eucharistia.

COENA  
DOMINI  
QUID?

II. Est autem actio à Christo instituta, quâ modo supernaturali cum benedicto pane & vino verum corpus & verus ejus sanguis accipitur, editur, bibitur; eoque promissione obsignatâ & fide confirmatâ Christus cum suis meritis & beneficijs omnibus utenti adplicatur.

III. Hæc omnia fundantur in institutione divinâ, à quâ dependet totum esse sacramenti, & tamquam à principio proprio omnium controversiarum quæ circa ejus materiam, formam & effectus agitantur, adjudicatio.

PRESENT.  
CORP. ET  
SANGUIN.  
CHRISTI  
IN S. COE-  
NA NE-  
GANTES.

IV. Dicimus verò in sacra cœnâ unâ cum vero pane & vino adesse & sumi verum corpus & sanguinem Christi, contra Calvinum aliosque cum veteres tum novos sectarios.

V. Circa